Doctrina Juris Romani de PUBLICIANA IN REM *actione explicetur, ita ut singula fragmenta, sub illo Pandectarum titulo posita, more Cujaciano exponantur.*

ORDO MEDICORUM proponit quaestionem sequentem:

Cum alii ultimam rationem unionis principiorum partium organicarum, a qua harum natura pendet, ex affinitate Chemica eorundem ad se invicem generali derivent, alii contra hic recurrant ad singularem vis vitalis efficaciam, non tantum ab affinitate memorata diversam, verum etiam illi in agendo haud uno titulo oppositam, ac singuli ad suam opinionem Pathologiam accommodent; quaeritur de argumentis praecipuis, quae ad utramque illam sententiam vel firmandam vel rejiciendam faciunt, ac de usu ex hac contemplatione ad Pathologiam olim redundaturo.

Quaestiones ab **ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM** propositae, hae sunt.

E PHYSICA.

Quaenam praecipue phaenomena in rerum natura VIRIBUS INERTIAE, *omni corpori propriis, sive solis, sive cum vi* GRAVITATIS *conjunctis, tribuenda sunt?*

E MATHESI.

Si singula corpora solida, TETRAËDRUM, HEXAËDRUM *vel* CUBUS, OCTAËDRUM, DODECAËDRUM, ICOSAËDRUM, *inscribantur sphaerae, cujus radius aequalis sit unitati, quaeritur* CUBUS, *cujus capacitas aequatur capacitati illorum quinque corporum simul sumtorum.*

Ex ASTRONOMIA.

Quibus formulis construuntur horologia solaria supra plana TETRAËDRI, HEXAËDRI *vel* CUBI, *et* DODECAËDRI? *sive, qua formula construitur solarium supra planum quodlibet datum?*

Ex

Ex HISTORIA NATURALI.

Desideratur elenchus, sive catalogus earum plantarum, quae prope urbem Leidam, in duarum horarum circuitu, nascuntur; complectens non tantum brevem cujusque plantae descriptionem, sed etiam accuratam indicationem loci, ubi inveniuntur, temporis, quo florent, et nominis trivialis, quo vulgo insigniuntur, una cum allegatione probatae alicujus delineationis singularum plantarum.

E CHEMIA.

Qua ratione Natura servat proportionem inter principia proxima Atmosphaerae?

ORDO PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM has proponit quaestiones:

Quae fuit apud Romanos Literarum conditio inde a primo bello Punico usque ad Vespasianum Caesarem? Quibus temporibus, veluti Epochis, illud temporis spatium, ipsique Latini scriptores, qui in eo floruerunt, pro mutata hac conditione discerni commode possunt?

Porro,

Quinam sunt fontes, sive scriptores, ex quibus Historia Philosophica inter Graecos, inde a Thalete et Pythagora, usque ad Geminum Rhodium, praecipue petenda est? Quae censenda est singulorum scriptorum in hoc argumento auctoritas?

Commentationes Latina tantum oratione conficiendae, et alia quam auctorum manu describendae, ante diem 1 Novembris hujus anni mit-

tuntor ad Virum Clarissimum G. SANDIFORT, Academiae Actuarium; ita ut nullis ab Academiae parte faciendis expensis detur locus. Lemmate autem omnes inscribendae, iisque adjungendae sunt schedulae obsignatae, Auctorum nomina continentes, eodemque in exteriore parte lemmate insignitae.

Universa vero concertationis ineundae et dijudicandae ratio cognosci potest ex decreto Regis supra dicto, Art. 205—213.

NOMINA

SERIES

DISSERTATIONUM INAUGURALIUM,

IN ACADEMIA LUGDUNO—BATAVA

PUBLICE DEFENSARUM,

inde a d. 6 *Novembris* 1815. *ad d.* 8 *Februarii* 1816.

1815.

d. 18 Novembris. *Theses Juridicae*, defensae a GERARDO KLEYN, Zwaluwa-Brabanto, pro Doctoratu Juris Romani et hodierni.

29 Novembris. *Positiones Medicae*, defensae a JANO GULIELMO GRIM, Dordraco-Batavo, pro Doctoratu Medicinae.

2 Decembris. *Dissertatio de Contractu Societatis*, defensa a GULIELMO NICOLAO LAMBRECHTSEN, Flessinga-Batavo, pro Doctoratu Juris Romani et hodierni.

4 Decembris. *Dissertatio de evidentia universe, et de probationibus in judicio*, defensa a JOSUA ANDREA JOUBERT, e promontorio Bonae Spei, pro Doctoratu Juris Romani et hodierni.

8 Decembris. *Dissertatio de Leucorrhaea*, defensa a JOANNE BAPTISTA EECKELAERT, ex Cruybeke, pro Doctoratu Medicinae.

Eodem die. *Dissertatio de Ictero Neonatorum*, defensa a CAROLO HESS, Tornacensi, pro Doctoratu Medicinae.

9 Decembris. *Dissertatio de Pneumonia Asthenica*, defensa a DOMINICO ADRIANO JANSSENS, Rosa-Vallensi, pro Doctoratu Medicinae.

16 Decembris. *Dissertatio de Erysipelate*, defensa ab AUGUSTO MALLIARD, ex Merbes Chateaux, pro Doctoratu Medicinae.

d.

1815.

d. 18 Decembris. *Positiones Selectae artis Obstetriciae*, defensae ab ISAACO JOANNE RANT, Heusdano, pro Doctoratu Obstetriciae.

22 Decembris. QUAESTIONES JURIDICAE, defensae IN AUDITORIO MAJORE, a DIDERICO CAROLO VAN DER KEMP, Haga-Batavo, pro Doctoratu Juris Romani et hodierni.

Eodem die. *Dissertatio de Synanche vera, sive inflammatoria pharyngis*, defensa ab HENRICO JOANNE VAN GILS, ex Oudenbosch, pro Doctoratu Medicinae.

23 Decembris. *Theoremata Medico-Obstetricia*, defensa ab JOANNE GULIELMO DE BRUYNE, ex Langel prope Graviam, pro Doctoratu Obstetriciae.

1816.

d. 3 Januarii. *Positiones de Arte Obstetricia*, defensae a CORNELIO DE BONT, Heusdano, pro Doctoratu Obstetriciae.

15 Januarii. *Dissertatio de tutela secundum leges Romanas*, defensa ab ADRIANO VAN LEEUWEN VAN DER WAALL, Haga-Batavo, pro Doctoratu Juris.

27 Januarii. *Dissertatio de Mechanismo partuum naturalium*, defensa a CORNELIO VAN ELDIK, Neomagensi, pro Doctoratu Obstetriciae.

Eodem die. *Theses Juridicae*, defensae ab JOANNE ALEXANDRO VAN DYK, Delphis-Batavo, pro Doctoratu Juris Romani et hodierni.

30 Januarii. *Dissertatio de Peripneumonia*, defensa a LUDOVICO SEUTIN, Nivellensi, pro Doctoratu Medicinae.

Dissertationes sub praesidio, his tribus mensibus, nec in Academia Leidensi, nec in Amstelaedamensi Athenaeo, ventilatae sunt.

JANI BAKE,

ORATIO

DE PRINCIPUM TRAGICORUM MERITIS,
PRAESERTIM EURIPIDIS.

MAGNIFICE RECTOR!

PERILLUSTRES AC GENEROSISSIMI ACADEMIAE CURATORES!

AMPLISSIMI, NOBILISSIMI, CIVITATIS CONSULES, JUDICES; QUIQUE HIS A CONSILIIS ESTIS VEL AB ACTIS, VIRI GRAVISSIMI!

QUOCUMQUE DOCTRINARUM ATQUE ERUDITIONIS GENERE CONSPICUI, PROFESSORES CLARISSIMI!

ARTIUM ET LINGUARUM LECTORES PERITISSIMI!

ORACULORUM DIVINORUM INTERPRETES VENERANDI!

ARTIUM ET SCIENTIARUM DOCTORES, VIRI CONSULTISSIMI!

CIVES, HOSPITES, SIVE NATALIUM SPLENDORE, SIVE MUNERIBUS, SIVE INGENIO, SIVE VIRTUTE SPECTABILES, AUDITORES HONORATISSIMI!

VOS DENIQUE ADOLESCENTES ORNATISSIMI, QUI PER HUJUS ACADEMIAE STADIA AD INGENII DOCTRINAEQUE LAUDEM CONTENDITIS, FLOS JUVENTUTIS, ORNAMENTUM ACADEMIAE, SPES PARENTUM, PATRIAE, HUMANITATIS!

Quae-

Quae res singulae plurimum in dicendo valent, ab eoque, qui in conventu hominum verba facere audeat, postulantur, eas sentio universas in me desiderari. Quum enim omnis bene dicendi facultas, partim à ratione et via, plurimum à naturae dotibus proficiscatur, quantam vel studii constantiam, vel ingenii felicitatem eorum esse existimabimus, qui, quodcumque oratione tractandum sumserint, primum ita explicare solent, ut doceant, tum ut audientium animos mira verborum sententiarumque vi ac dulcedine suavissime afficiant? Atque ab illa universa perfecti oratoris laude si discesseris, animumque ad hoc ipsum dicendi genus revocaveris, quod hujus loci esse videtur; nihilo minus, quae rudem et imperitum deterreant, plurima esse video. Mitto caetera: id dicam, quod spectavi. Nimirum ut Vos, H. H. A. A., mecum reputaretis, quum nisi ingenium et exercitationem, at rerum scientiam soleatis requirere, quanta res sit, et quam ardua, non solum, quae ipse scias per-

spicue prodere, sed ita proponere, ut communia proprie dicas, itaque primum grata, postremo magna et gravia videantur. Quod si plerisque perdifficile, ut est, ita videtur; si mihi haec dicendi provincia non expetita, sed lege imposita est; si Vobis praeterea acerrimis iisque liberrimis utor judicibus; quis miretur, si me cum magno metu in hunc locum adscendisse dicam? Quis aegre ferat, si Vestrarum aurium judicium reformidare me affirmem? Nisi illud, quod à plerisque in ipso introitu orationis dici solet, mihi reticendum sit, si vere dicatur: aut quasi minus tironem deceat id confiteri, quod alii, vel aetate confirmati, vel doctrina instructi, vel studio et ingenio exercitati, praedicare de se non dubitarunt. Quid quaeritis? tanta videbatur oneris molestia, quam nisi perpetua officii consideratione, incredibili industria, Vestraque in primis benevolentia, superari nullo modo posse arbitrarer.

Quae cogitationes si animum meum anxium et sollicitum habuerunt, ut pene ex tot ac tantis difficultatibus emergere non posse viderer: aliae fuerunt, quae mirifice me erigerent et confirmarent. Primum ipsius muneris, quod mihi auspicandum erat, singularis est cum dignitate conjuncta utilitas, quae ut ad plures pertineat, omnibus viribus enitar, me quidem incredibiliter ad laudis studium excitare solet. Tum argumentum erat ad dicendum eligendum; cujus solet quidem difficilis esse optio, difficile consilium, nec tamen illud sine multa delectatione, sive recordandi ad quaerendum, sive judicandi ad eligendum. Quanta enim et quam praestans sit Veterum Literarum disciplina, nemo Vestrum est qui ignoret. Equidem cum eorum omnium quae in hominum scientia versantur amplitudinem et totum ambitum mente persequi conor, universae doctrinae rationem et ingenii laudem ad humanae societatis similitudinem componere soleo. Ingenio profecto et sollertia, veluti communi quodam vinculo, continentur cuncta: multorum autem propior est societas, quorumdam interior etiam, singularumque disciplinarum cum singulis arctissima col-

colligatio, ut omnis communio in exiguum angustumque conclusa esse videatur. Universam illam societatem studio et ratione amplecti, majus esse videtur, quam pro humani ingenii imbecillitate: sed inique, ac pene dicam sordide doctrinae laudem illi interpretantur, qui contractâ illâ inter duas aut paucas artes colligatione unice delectantur. Plurimornm sine dubio studia et admirationem sibi una vindicabit bonarum literarum disciplina, optimarumque artium societatem naturali vinculo complectitur. Quid enim dicam has in ipsa Graecia, mirabili quadam ingeniorum bonitate et frequentia, ita vel inventas esse et excultas, vel acceptas et perfectas, ut in nullo non doctrinae genere principes extiterint, nec nisi sero in quibusdam superati esse videantur. Quid de Romanis dicam, qui quum in dispari genere elaborassent, tamen et ipsi has mansuetiores musas coluerunt, et utriusque rationis studia longe lateque protulerunt. Quid de Graecorum Romanorumque paucissimis, ut ex tanto ingeniorum proventu, monumentis doctrinae; quae è communi literarum omnisque elegantiae naufragio servata, cogitandi dicendique prudentiam suscitare, et gravissimarum rerum studia propagare potuerunt, jam interjecta barbarie fere exstincta et interemta.

Verum ut ex infinita illa contemplatione, mea quoque in exiguum contrahatur oratio, et temporis simul augustiae meique ingenii tenuitati accommodetur; ut alii Scriptores multum, ita magis me advertunt antiquiores illi, Poëtae praesertim, quorum praestantissimis operibus, recentior aetas nihil habet, quod anteponat. Igitur nunc quidem haud ineptum visum est spectare, quae sint *principum illorum Tragicorum, et praesertim Euripidis merita.* Quid enim Tragoediâ vel suavius ad delectandum, vel ornatius aut copiosius ad commovendum virtutisque studium inflammandum excogitari potest? aut quis Aeschylum grandiloquentiâ et sublimitate, quis Sophoclem facundia et veritate, quis Euripidem ubertate ac limato dicendi genere, quis eum admonitionis prudentia et senten-

tia-

tiarum gravitate umquam assecutus est? Tot ac tantas excellentissimorum ingeniorum virtutes, dum, quantum facultate assequi possum, diligentius hac horâ persequor, etiam atque etiam Vos rogo, A. A. H. H., ut auribus mihi linguisque faveatis.

De poëtis Graecis nemo sane recte judicabit, nisi qui in ipsis Graecorum moribus et ingenio primordia harum literarum investigare velit. Quo loco mirari subit, cum semel sacrorum ratio aliunde allata, et Graecorum ingenio multum esset amplificata variisque traditionibus ornata, quam omnia ad hilaritatem composita fuerint. Ita nihil severitatis, nihil moestitiae, laeta omnia et illustria, divinis ipsis ad humanarum rerum similitudinem translatis. Sive igitur statis anni temporibus frugum primitias Diis offerrent, omnium bonorum auctoribus, sive eorumdem iram lauto sacrificio placarent, sive quotidiano usu nullum esset convivium, quin à Deorum cultu exordium haberet: omnem vitae fructum et laetitiam, omnem animi remissionem à laborum molestiis liberati, genioque indulgentis, in antiquissimis jam Graecorum sacris reperiemus. Hinc apud Homerum, qui nobis Jonici ingenii venustissimam imaginem reliquit, frequens carminum mentio, quibus ad citharam canendis vel Deorum laudes, vel Heroum illustria facinora in conviviis persequebantur: hinc Chori, hinc certamina illa publicis etiam festis adhibita, quorum victores Lyricorum suavissimis modis celebrari solebant. Quid multa? Nata est Graecorum poësis et musica è cultu Deorum, eademque est Graecarum literarum omnisque eruditionis origo.

Longum sit, explicare singula: et nunc quidem satis est illud intelligere, quanta fuerit Poëtarum illorum vis in Graecorum de omni genere doctrinae opiniones; qui nulla historia, nulla theologia, philosophia nulla utebantur, nisi quae numerorum dulcedine et musica voluptate animum simul et aures demulceret. Atque ita exstitit potissimum vinculum illud earum artium quae ad humanitatem pertinent.

Sic

Sic honor et nomen divinis vatibus atque
Carminibus venit.

Nam, posteaquam exorti essent, qui historiam et philosophiam pedestri oratione explicarent, quum quorumdam ingenia quasi adulta et corroborata nudis verbis planisque sententiis mallent, quam poëtico numero, ad rerum gravissimarum cognitionem contendere; exuta est utraque disciplina non tantum venustissimo ornatu, sed communia illa studia dissociata sunt, eaque ipsa divulsa, quae natura prudentissime copulasset. Igitur quum haec ratio magis magisque invalesceret, eos demum probatos fuisse universis accipimus, quorum oratio paullum assurgeret, et carminis similitudinem referret. Atque haec erant, quae clamores et admirationes in Herodoto efficerent, cum in celeberrimo Graecorum conventu historias recitasset; haec, quae Platonis scriptis divinos illos vatum honores conciliarent.

Sed, ut propius ad id, quod nobis propositum est, accedamus; nusquam facile illustriora extiterunt poëseos studia, quam Athenis. In publicis quidem sacrificiis, quae Delphici oraculi auctoritate peragebantur, dominabantur Poëtae precum hymnorumque verbis, cantus item et chori rhythmo composito, ut omnis circumstantium turba flebilibus vocibus in varios affectus raperetur (*). Verum maxime in festis apparuit, quanta esset apud Athenienses legum et morum et studiorum conspiratio. Quum enim antiquissimi eorum reges complura festa instituerint, in his omnibus hanc vim intelligo fuisse, non ut ita conformatos esse mores existimem, sed, quo sua sponte hominum ingenia ferrentur, ad id accommodatos fuisse publicos ludos. Quo loco Platonis (**) auctoritatem usurpare, quid vetat? Laborum, inquit, requietem, cum hominibus Dii concessissent,

(*) PLATO *Legg.* VII. *p.* 800. *D.*
(**) *Legg.* II. *init.*

nium reperiemus; nisi ut eum, quamvis in dispari genere, proxime ad Homeri laudem accessisse dicamus. Igitur, simulatque hic fabularum non tantum argumentum a Deorum et Heroum factis repeteret, ac subinde avitam Atheniensium in omni genere virtutis gloriam luculentissime proponeret, sed et scenico apparatu, theatro, Choris splendidioribus, Dionysiorum licentiam non modo corrigeret, sed honestaret etiam, incredibile dictu est quantum ipsius exemplum ad aliorum operam et industriam excitandam valuerit, quantoque studio Bacchi festa non dicam ab Atheniensibus, sed ab universis (*) Graecis expetita sint. Et Aeschyli quidem grandiloquentia eo magis tum placebat, quod in eam aetatem incidisset, quae Persas summa Atheniensium fortitudine pulsos fugatosque viderat, ut omnium animi magna quaevis et illustria agitarent et sentirent. Sed chori in primis erant, in quibus instruendis et erudiendis civitas ipsa universa summam curam ponere solebat. Cui rei à singulis Tribubus Choragi praeficiebantur è ditioribus civibus: quorum in ipso munere diligentiam et splendorem saepe victoriae laus sequebatur, quin et largitioni et magnificentiae haud raro multitudinis benevolentia, summaeque in republica auctoritatis spes et amplitudo honorum proposita erat. Tanta habebatur eorum cum dignitas, tum studium rei publicae. Quo loco Atheniensium levitatem mirari oportet, quam nulla graviora studia, nullae publicae calamitates, non ipsa ratio civitatis ad liberrimum populare imperium commutata, temperare potuit. Igitur praesentis temporis voluptate maximopere commovebantur: publicorum ludorum tempora, partes, magistratus, certamina, omnia certis legibus finita et descripta, mira omnium diligentia et contentione administrabantur, nequicquam saepe reipublicae temporibus privatorum operam et opes flagitantibus (**). Tali ingenio quum Athe-

(*) AESCHIN. *Adv. Ctesiph.* T. III. p. 428. 438.
(**) DEMOSTH. *Philipp.* I. T. I. p. 50.

Athenienses uterentur, nolite dubitare, A. A., Tragoediam unum fuisse scribendi genus, quod, simulac natum esset, continuo et vires acciperet, et ad eam praestantiam perveniret, quam alii, quamvis magni viri, sed aliis in locis aliisque temporibus, imitari studuerunt, reddere imitando numquam potuerunt. Cumque aliae artes vix singulis aetatibus singulos excellentes auctores nancisci solent, Tragoediam, ut inquit Vellejus Paterculus, una, neque multorum spatio annorum divisa aetas, per divini spiritus viros, Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, illustravit.

Atque hi tanti viri, quum in eodem genere elaborarent ita, ut, praeter victoriam in Dionysiacis, nil magnopere in vita expetendum existimasse viderentur, quam diversi fuerunt inter se, et tamen in suo quisque genere perfectus! Singulorum laudes persequi et in longiorem nos traheret disputationem, et veteres ipsi, quique post renatas literas harum rerum intelligentes extiterunt, ita judicarunt, ut de eodem argumento me balbutientem non requiratis. Satis est illud commemorare, ex Aeschyli tumore et ampullis, multum remissum esse ab iis, qui eum secuti sunt: et in quo parens ille Tragoediae offendisset, id à reliquis vitatum esse, qui magis magisque ad actionis verisimilitudinem ac dignitatem, ad decorum scenae ornatum, et ad numerorum libertatem et suavitatem fabulas composuerunt. Aeschylum igitur mortuum etiam ad Dionysiacorum certamen vocarunt, ut correctis ejus fabulis alii poëtae de palma contenderent. Neque hoc praetereundum est, quamvis veterum Criticorum judicio, praeter Aeschylum, Sophocles tantum et Euripides principatum tenuerint, adeo ingentem fuisse Tragicorum poëtarum numerum, eosque tot, non dicam industriae, sed ingenii et elegantiae monumenta reliquisse, ut ea res illustri exemplo sit, quantum ad literarum florem valeant publica civitatis instituta, quibus factum est, ut luxuriantem quasi summorum ingeniorum segetem habuerint Athenae.

Hucusque, A. A., satis à me dictum esse arbitror de origine et caussis Tragoediae. Atque jam multos fore Vestrum suspicor, qui aliud quid à me exspectent, quique sermonem omnem meum in tritis et pervulgatis rebus consumi mirentur: quae sit tandem Tragoediae vis tanta, quaeritis, ut ejus commendatio non frustra à me suscepta videatur.

Tragoedia, non rhetorum, sed Platonis definitione, est imitatio vitae, non ad risum, ut Comoedia, sed rei seriae, gravis et magnae. Quae ejus indoles quum talis fuerit, erunt, opinor, qui existiment genus hoc ab Atheniensium abhorruisse levitate, nec nisi *nugari* solitam fuisse Graeciam,

Sub nutrice puella velut si luderet infans.

Ut mirum fortasse videatur, et tamen verissimum sit, non tantum ad illas fabulas spectandas adolescentes à majoribus natu deductos esse, velut in quamdam sapientiae disciplinam, sed longe maximam in his spectaculis audientium multitudinem, acerrima studia fuisse (*). Igitur cum ex heroica aetate personas assumeret fortunae vicissitudinibus in alterutram partem, vitiis item et virtutibus claros et illustres, primum illud consequebatur, ut quotidianae vitae speciem, sed in sublimi positam exemplo, referret, cujus et vim universi agnoscerent et majestatem suspicerent: tum, ut misericordia et terrore ciendo incredibiliter homines vel ad honestatem expetendam, vel ad turpitudinem fugiendam commoveret. Percellebat enim spectatores rei partim verae partim fictae atrocitas et magnitudo, praesertim cum verborum facibus sententiarumque insignibus pertexta et amplificata accederet oratio.

Ani-

(*) ARISTOPH. *Ran.* 1038—1130. PLATO. *Legg.* II. *p.* 658. *D.* LUCIAN. *l. c.*

Animadvertitis, A. A., quanta Tragoediae cum historiâ similitudo intercedat. Quod ipsum etiamsi in laudem dictum sit, vereor ut satis poëtarum illorum operam et ingenium praedicaverim, et extulerim. Sic enim sentio, quum utriusque laus rerum gravitate contineatur, et civilium virtutum patriique moris commendatione, tamen si utilitatem spectemus, multis partibus Tragoediam antecellere. Qualem utilitatem? eam nimirum quae in civium moribus totiusque populi emendandis versatur, ut clarissimis utriusque fortunae exemplis propositis, homines salutari admonitione ad bene prudenterque vitam degendam adhortetur. In quo consilio (nam idem utraque habet) quid interresset inter utramque, prudentissimus scriptor Polybius (*) animadvertit. Historia docendi cupidos docet, Tragoedia auditorum magnam turbam percellit: illa sermonis veritate utitur, aequabili et sedata oratione legentes sine satietate tenet ac delectat, haec veritatis vim auget verisimilitudine, audientium animos quibusdam affectuum luminibus allicit: illius fructus non nisi expetitus percipitur, hujus utilitas, aurium simul oculorumque adjuncta voluptate, obruit omnes vel invitos, et mirabiliter in plurimos tamquam influit. Constantes ac diuturnos doctrinae fructus, ingeniique oblectamentum ad eos item pertinere, qui multis seculis post perfectis historiae monumentis usuri sunt, contraque Tragoediae auctoritatem fere extra actionem perire, et verissime dicitur, et ejusmodi est, ut eo potissimum ex hac laudis contentione superior discedat Tragoedia. Nisi frustra ostenderimus Atheniensium ingenium unice sacris ludis, ludorumque certaminibus delectatum, eamque fuisse eorum et disciplinam et publica instituta, ut nullis fere, nisi poëtarum carminibus, literis uterentur. Itaque postquam inde excerpta est rerum gestarum narratio, pedestri oratione consignata, nobilissima ars ex vitae luce ad scholae umbram

(*) II. 56.

bram paullatim est detrusa. Est profecto praestantissima historiae laus, qua veritatis nuncia, memoria vetustatis dicitur: Atheniensium levitas ad historiae veritatem frigebat, majoremque fidem faciebat illustris illa veritatis imitatio, qua tam vividis coloribus naturae vis exprimebatur, ut sensibus ipsis subjiceretur. Atque Dii boni! quanta efficacitas! Ipsi praesentes summorum virorum casus intuebantur, lamentatione movebantur, furore terrebantur, scelera exhorrescebant, fortunam commiserabantur: fiebatque illud, quod Horatius ait:

Ut ridentibus arrident, sic flentibus adflent.

Affectibus ciendis potissimum Tragoediae officium continebatur, maxime terroris et commiserationis. Atque ad eos, ut ad reliquas animi perturbationes, natura nos ipsa formavit: quique eas non naturales dixere philosophi, acerrimo, opinor, contentionis studio, aut falsa quadam sapientiae opinione statuerunt. Sed ut boni opinione, et voluptatis sive praesentis sive futurae, ita saepe vel efferimur vel ardemus, ut honestate relicta, in turpitudinem incidamus; sic metus ac doloris commotiones salutarem illam animi contractionem pariunt et molestiam, qua virtutis et modestiae semina eliciantur et maturescant. Igitur non tantum resistere vehementioribus animi motibus, iisque veluti frenum quoddam rationis injicere, sapientiae habitum est; sed et perturbationum mediocritates scienter ad cujusvis virtutis adhibere perfectionem, ea demum utilissima est philosophiae disciplina. Hoc Tragoedia praestabat. Promethei quanta fuerant in hominum vitam beneficia! Talem ac tantum virum Jovis crudelissimo imperio vexari, ac foedis vinculis et cruciatibus torqueri, spectatorum animos non tantum egregie sollicitabat, et commiserationis sensu perfundebat, sed et ipsorum miserias tolerabiliores reddebat, ut nisi plane abstergeret vitae molestias, certe aequiore animo ferrent.

Quid,

Quid, quod haec aegritudo ex alterius incommodis, cautos reddit nos et munit adversus mala futura? Noxa enim, ut hoc ipso Prometheo auctore utar, coeco errore oberrans, ab eo qui nunc laborat, ad alium deinceps et alium volitat. Atque haec est illa, quam Aristoteles in Tragoediae definitione posuit, quasi purgatio affectuum, et animi medicina: haec erat illa morum ψυχαγωγία, quae affectus, veluti quosdam sonos et voces, dextre tangeret et pulsaret (*): hac nullae philosophorum disputationes, nulla argumentatio ratione conclusa, nulla definitio, partitio nulla, certiorem nec efficaciorem afferre potest.

Sed et vitiorum et virtutum exempla exhibebat: nec tantum ea quae magnis facinoribus cernerentur, sed et communibus et domesticis moribus nonnumquam heroes informabat. Et in hac parte, si cujusquam, maxime vulgi valet sententia, honesta ac turpia acerrime dijudicantis. Quid? Polyxenae animi magnitudinem memorabo? quid? Electrae amorem erga fratrem? quid, Jocastae lacrymas, Polynicem reducem adspicientis? Antigonae pietatem in patrem? amicitiam Pyladis et Orestis? Nolite dubitare A. A., quin ea omnia mirabiles excitaverint boni rectique amores. Vitia autem quam foedo ac tetro adspectu referuntur? Oedipus Sophocleus, quem nullius flagitii conscientia torquebat, simulatque divina et humana à se violata esse jura cognovit, ab ipso fastigio potentiae, ad turpissimae improbitatis conditionem dejicitur. Cujus quidem quamvis sera poena, et inauditum mortis genus, Deorum metum et mortis timorem mire confirmabat. Deos quidem ipsos in scenâ proponi, ac defunctorum animas excitari, cum Atheniensium non offenderet superstitionem, tum magnam vim habuit ad fidem fictis rebus faciendam. Hoc enim sublimi et mirabili genere opus erat, quod à specta-

(*) PLATO, de eloquentia, *Phaedro p.* 271, *D.* PLUTARCHUS, *Pericl. p.* 161, *D.*

torum temporibus et communi vita remotum esset; quo magis vetusta omnia sanctam habebant reverentiam, ac paene divina existimabantur.

Satis credo intelleximus, A. A., quae ratio fuerit veteris Tragoediae, quae auctoritas, quanta prae aliis artibus et literarum generibus excellentia. Sed ejus laudis longe maximam partem vindicat sibi actio ipsa scenae, et dialogus. Hic enim, non dicam humanae naturae, sed Atheniensium moribus accommodatissimus erat, quorum vita omnis in publicis et rebus, et commodis et incommodis, et sacris et ludis erat. Hinc totum argumentum fabularum fere celeriori numero atque alternis sermonibus proponebatur, nec nisi interdum ad canticorum sublimiorem poësin et artificiosum rhythmum vocabatur. Idem studium sermonis in optimis quibusque poëtis et scriptoribus dominatur. Ita Homerum legentes maxima voluptate afficimur iis locis, quibus sermonis gratissima vicissitudine vere in medias res rapimur. Quid Herodoto dulcius ac lenius, quid Thucydide gravius et prudentius? quorum tamen uterque vidit, si continua narratione uteretur, nullis interpositis colloquiorum imaginibus et concionum veritate, fore ut legentium studia, Atheniensium maxime, torperent. Quid philosophos dicam? Plato quidem cum proxime exciperet eorum aetatem qui principes philosophiam sive carmine, sive soluta oratione attigissent, hos nimium à poëseos similitudine recessisse intellexit, et dialogo adhibito, motum ac suavitatem philosophiae institutioni adjunxit, et personarum sermonisque distributione id effecit, ut, quae ars vitae perhibetur, ea ne à vitae verisimilitudine plane abhorreret, sed suis ipsa leporibus et venustate et aptissima disserendi via, se commendaret et probaret (*). Et Plato, divinus plane vir, si tantam famam obtinuit, quod veluti scenam in philosophorum disputationes traduxit;

(*) Cl. WYTTENBACHIUS, in *Epistolâ ad Cl.* HEUSDIUM *p.* XLI. *sqq.*

duxit; quid de eo sentiendum est, qui philosophiam è scholae umbrâ, in scenae publicorumque ludorum lucem et actionem attulit, quique eam artem, quae unice videbatur delectationis caussa comparata, sapientiae praeceptis et doctissimorum hominum placitis, mirifice ad gravitatem temperavit? Est profecto Euripides (quem significari à me intelligitis, A. A., cujusque mentionem dudum â me postulari arbitror) est autem Euripides sine ulla controversia is, qui, cum in omni genere laudis clarissimos aemulos aequasse, tum multis partibus superasse existimandus sit. Et erat tamen illa aetas, quâ vixit, summorum ingeniorum feracissima, in primis philosophorum, sophistarum, oratorum. Quod ne quis ita interpretetur, ideo minoris Euripidis operam existimandam esse in civibus ad pulcri sensum rectique studium erudiendis; in hoc ipso explicando, quod mihi reliquum est temporis, reliquus ad Vos, A. A., sermo erit.

Plerarumque Graecarum civitatium, sed maxime tum Athenarum, ea ratio erat et institutum, ut revera societatis communio existeret. Itaque non tantum cives ipsi inter se maxima ἰσονομίᾳ, legum et juris aequabili ratione, utebantur; sed quae summa habentur in re publica, Deorum sacra, templa, magistratus, consilium publicum, judicia, militia, reditus publici, omnia erant omnium communia. Hinc universorum vita fere, secus quam apud alios, erat activa (*), nec privatae tantum ἀργίας judicium fiebat, sed nemo omnino à rebus gerendis abstinebat. Quae res, quantas virtutes exseruerit, longum sit explicare: sed maxima fuit in universam civitatem ejus praestantiae vis, quam oratores in concionibus et judiciis excellenti quadam dicendi facultate explicabant. Athenis, si usquam, nobilissima illa eloquentiae laus extitit, cujus mo-

(*) Vid. Cl. WYTTENBACH. *Bibl. Crit. P.* XII. *p.* 42. PLUTARCH. *Solon. p.* 79, D.

momento vel levissimae multitudinis voluntas in omnes partes impelleretur. Igitur tantis discentium studiis, ut ait Cicero in simili re (*), et magistri inventi sunt, maxime Sophistae illi, e quorum disciplina magni viri prodierunt. Cumque Prodico et ipse Euripides uteretur dicendi doctore, noluit tamen civilibus fluctibus se committere, tantam cernens vel optimorum virorum apud plebem esse invidiam.

Sed aliud erat doctrinae genus, eadem illa aetate demum Athenis cognitum, philosophia. Eamdem antea, post poëtas, complexi erant clarissimarum civitatium principes, qui dicendi facultatem et cogitandi prudentiam, cum ipsa imperii dignitate conjunxerant. Haec cum ex Ionia potissimum Athenas percrebuisset, in otiosam abiit ingenii exercitationem et à vitae actione segregata est. Quid de eo dicam, res maxime obscuras tum investigari coeptum esse, de mundi principiis, de siderum motu, coeli conversione; unde Comicorum orta sunt dicteria. Hinc Socrates dicebatur primus philosophiam in terram avocasse, cum non nisi de bonis et malis rebus disputaret, et quomodo omnis vita ad moderationem et honestatem esset regenda. Sed, qui ex hac nobilissima sapientiae officina prodierunt opifices, quum palaestras, gymnasia, porticus disputationibus occuparent, magnaque essent gravissimae disciplinae studia, nihilominus obscurum nacta est theatrum philosophia; quae, quo magis ad artem et scholam redacta est, eo longius à natura, et vitae luce recessit. Ita nullis orationis leporibus philosophi auditores retinuerunt, qui, ut Crassus ait (**), simul ut discus increpuisset, in media oratione, de maximis rebus et gravissimis disputantem philosophum omnes unctionis caussa relinquebant, itaque levissimam delectationem gra-

(*) *Offic.* I. 37.
(**) CIC. *Orat.* II. 5.

gravissimae utilitati anteponebant. Nimirum *σεμνὸν* illud et *σκυθρωπὸν*, superbam quandam gravitatem et vultus severitatem, cum in omnibus rebus aspernarentur Athenienses (*), tum in philosophis multitudo quidem ferre non poterat. Huc accedebat, quod eorumdem elevaret auctoritatem, in patriis moribus et maximarum rerum opinionibus servandis et vindicandis insignis Atheniensium in tanta studiorum levitate constantia. Itaque, cum praeclaris ingenii dotibus animique integritate instructi summi viri Athenis philosophiam traderent, Anaxagoras et Socrates, non sacerdotum quorumdam superstitioni, sed universae plebis invidiae gravissimas poenas dederunt.

Quid autem Euripides, Anaxagorae auditor? destititne philosophari? Imo laudatissimam artem professus est, sed ita ut eam in scena proponeret, in laetissimo ludorum apparatu, musarumque lenocinio et comitatu instructam. Qua re illud assecutus est, ut, cum nusquam Atheniensium pietatem in patrios Deos ac mores offenderet, tamen eamdem egregie castigaret. Nullius facile sententiae major est vis ad moderandam religionem, pietatem, omnemque virtutem, quam de divina omnique rerum natura: in eoque genere maxime Anaxagorae physica ratio à Veteribus celebratur. Quae cum poëtarum maxime carminibus incredibilem in modum essent contaminata ludicris, non opinionum, sed libidinis commentis, egregium auctoritatis et majestatis vindicem nacta sunt Euripidem. Jam enim illa aetate firmiori quodam freno opus erat, quo hominum licentia et intemperantia coërceretur, veteris superstitionis aedificio jamjam in tanta bonarum literarum luce ruinam minante. Cui ut succurreret Scenicus Philosophus, summi Dei imperium et sa-

(*) PLUTARCH *Pericl. p.* 154 *D.* cf. VALCKEN. *ad Eurip. Hippol.* 93. MAXIMUS TYR. *Dissert.* X. 6. *p.* 109.

sapientiam, divinaeque vindictae certissimam viam ubique in fabulis gravi et luculenta oratione praedicavit et confirmavit, omnemque saepe physiologiam poëtico quodam colore perfudit. Neque hoc tantum, sed summam quamdam legem honestatis et aequitatis esse, cui et ipsos illos Deos, quibus vulgus uteretur, subjectos esse, ita statuit, ut ejus sententiae haud pauca vestigia reperiamus. Igitur cum crebram ex omni fabularum argumento non tantum arriperet admonitionis et praeceptorum opportunitatem, ut honestum decorumque universum illud omnium hominum commune commendaret, sed et, quod singulis personis proprium, singulorumque singulis temporibus et fortunis maxime accommodatum esset, acutissime praecepit. Atque ita demum fructuosa illa philosophia extitit et frugifera: quae non ab infinito disputandi et partiendi et definiendi genere profecta, quid cuique quoque tempore agendum esset, difficile ad judicandum relinqueret; sed singulis illustria, quae vel vitarent, vel sequerentur, exempla proponeret. In quo genere cum tantum elaborarit Euripides, num minor fuit ejus opera in civilibus virtutibus commendandis (*), et re publica tuenda? Ecquis aut Graeci moris amantior, aut moderati illius popularis imperii studiosior, aut demagogorum artibus infestior extitit? Nam de eloquentia quidem non opus erit monere, quae in eo virtutis nomine decoranda est: ita et re et verbis comprobavit summam ejus esse hanc laudem, si quis honestam caussam digne et ornate defenderet. Neque igitur Quinctiliani quamvis egregium praeconium, satis tamen Euripidis laudem complecti videtur, quem et in hoc genere summis quibusvis oratoribus excellentissimum exemplum, quod intuerentur, extitisse, vere mihi videor affirmare. Cumque ita et morum disciplinam, et civilis prudentiae praeceptionem Tragoediae addidisset, ut tanta bona in vitae imitatione, proxime ipsam vitam et forum collocaret,

(*) Cf. PLATO *Gorgia. p.* 502, *C. D.*

ret, oratione etiam, ac praesertim sermone, propius ad communem usum accessit, et solutioribus numeris usus est, quam qui eum praecesserant poëtae (*).

Atque hoc loco literarum iter ac progressum animadvertere, operae pretium est, quippe cum ingenii progressu conjunctissimum. Antiquissimae literae memoria maxime continebantur, nec nisi recitandi arte, quae Rhapsodorum erat, vigebant et in publicum proferebantur. Scribendi usus, sero demum à poëtis et scriptoribus vulgo usurpatus, id tandem perfecit, non ut prosa tantum excoleretur oratio, sed ut literae ad privata studia redactae, in ipsa publica vita conticerent, ac pristina illa poëseos laus periret. Itaque quum antiquiores illi ingenii monumenta ad praesentem laudem et delectationem componerent, neque, quam aliis saepe conciliabant, immortalitatis gloriam spectarent (**); recentiores paullatim à publicis conventibus recesserunt, posterisque relinquere maluerunt, quae prudenti simul ac populari dicendi genere tractassent. Sed in ipso confinio, quod ex utroque genere mixtum sit, adspicere licet. Nam principes illi, et historici, et sophistae et philosophi epidicticum genus retinuerunt: similiterque Euripides et rerum gravitate et sermonis forma in illorum pene possessiones invasit.

Hic igitur flos censendus est illius laudis, quam Athenienses et ingenio et eruditione assecuti sunt, mirifice conspirans cum ipso rei publicae splendore. Pericles universum populum, et reipublicae administrationem ad earum artium studia converterat, quibus elegantia doctrinae et de-

(*) Neque ego Euripidem adeo ineptum poëtam dixerim, ut unam Aeschyli aut Sophoclis fabulam omnium Euripidis fabularum jactura redimendam existimem: quod paulo iniquius pronunciavit magnus in hoc literarum genere vir G. HERMANNUS *ad Euripidis Hecubam* 760. *Lips.* 1800.

(**) F. A. WOLFIUS, *Prolegom. ad Homer.* §. XXII.

decori sensus maxime excitantur: atque hujus aequalis, similisque in dispari genere laudis aemulus, Euripides, publicorum ludorum illecebras ad omnis prudentiae salubritatem usurpavit. Ex qua communione et societate optimarum rerum inter se, factum est ut propria esset Athenarum laus, humanitas. Et Euripidi quidem, cum aliis de caussis, tum hoc nomine tantus honor à posteris tributus est, quantum, post Homerum, haud facile quisquam è poëtis adeptus est. Quod si hoc ipsum, A. A., nec satis diserte, quod certo scio, nec pro dignitate argumenti ornate satis explicui; at officium et pietatem Vobis probasse meam arbitror. Nescire quid Veteres Atheniensibus, quid nos Veteribus debeamus, turpissimum sit; multo etiam turpius praestantium illorum virorum merita nihil ad nos pertinere arbitrari, nec grato animo recordari.

Quae ipsa pietatis cogitatio, ut ad Vos me convertam, Viri Amplissimi et Perillustres hujus Academiae Curatores, magnopere me hortatur. Quid enim diffitear et honoris me cupidum esse, et Vestram honorificam praesentiam incredibiliter valuisse ad animum meum, ut primo conturbandum, ita deinceps confirmandum, studiumque in dicendo excitandum. Verum multo magis me commovent singulares Vestrae virtutes, quarum utilitas ad plurimos, admiratio ad omnes pertinet. Egregia laus est, generis nobilitatem et splendorem singularibus ornare animi dotibus doctrinaeque studiis. Egregium est, tanta bona vel fortunae vel exercitationis, non solum ad reipublicae utilitatem, sed ita ad literarum emolumentum conferre, nihil ut majori cura agere videamini. Magnum est clementissimi Regis nostri beneficium, qui hanc celeberrimam Musarum sedem, in Vestra tutela posuerit, ejusque curam, à majoribus sibi traditam et commendatam, Vobis tradere et commendare non dubitaverit. Magnum, si ad me ipsum reverti licet, certamen mihi propositum est, grave onus exspectationis mihi incumbit, quod talibus Viris operam meam, et studium et industriam deinceps pro-

probari oportet. Quod Vestrum auspicium, Viri Amplissimi et Perillustres, ut omnibus laetum, sic Vobis gratum, Academiae nostrae faustum, et patriae fructuosum sit, ex animo precor.

Tu quoque, Rector Magnifice, et Vos Viri Clarissimi, quarumvis disciplinarum Professores, mihi compellandi estis. Quodsi ea estis animi moderatione, eamque famam assecuti estis ingenio, doctrina, multis magnisque in patriam meritis, ut Vestras laudes praedicari à me certe necesse non sit; ingrati sit animi, non recordari, multorum me Vestrum disciplina usum esse, multos esse qui me praeceptis adjuvarint, multos qui benevolentia, qui maximis beneficiis me prosecuti sint. Vestro mihi porro opus est auxilio, Vestra benevolentia, si huic muneri ita satisfacturus sum, ut nec mihi arduum, nec aliis inutile fiat: equidem omni observantia atque officio efficiam, ut ne apud ingratum beneficium collocasse videamini. Nam quid de WYTTENBACHIO dicam Viro Cel.? quem oculorum valetudine impediri, et nostra Academia dolet, et omnes per totam Europam literarum amantes: quem mihi in his bonarum literarum studiis ducem extitisse, cujus scholas ad optimarum artium scientiam mihi viam munivisse, nulla temporis diuturnitate obliviscar. Vitae meae inde à pueritia memoriam repetens, nullam fere ejus partem esse video, quin WYTTENBACHII beneficio, sive disciplinae, sive amoris et benevolentiae, instructa et adjuta et ornata sit. Hujus ipsius muneris dum gravitatem reputo, mearumque virium tenuitatem, tum maxime doctoris provinciam sustinere posse arbitrabor, si me porro in discipulorum numero habere perget. Quae cum tanta sint viri incomparabilis in me merita, quo tandem animo in eum affectum me esse existimatis A. A.? Servet ipsi porro Deus eam patientiam in malis tolerandis, eam alacritatem in studiis, quae reliquum vitae spatium nec ipsi injucundum, nec patriae literisque infructuosum efficiant!

Nec Tu mihi praetereundus es, TOLLI, V. Cl., cujus et ego, et omnes eru-

eruditionem suspicimus, sapientiam admiramur, aetatem veneramur; ita actam, ut fortunam et prosperam moderate, et adversam fortiter ferres. Arctius me Tecum muneris ratione conjunctum esse ita gaudeo, quod in Te et doctoris praesidium et parentis caritatem videre mihi videor. Senectutem Tibi nec molestam, nec intolerabilem videri certo scio: quae ut diu vigeat, cum mea, tum studiorum, tum omnium bonorum caussa optamus.

Extremo loco mihi Vobiscum sermo est, Commilitones carissimi; quos eo loco à me haberi persuasum Vobis habete, quo censeri debet florentissima juventus, optimis moribus ornatissima, bonisque studiis deditissima. Graecarum et Latinarum literarum disciplinam jam ad Vos omnes pertinere, cum ex nova Academiae Lege intellexistis, tum una omnium eruditorum consentiens vox ab omni aevo affirmavit. Nec profecto melius studiorum exordium duci potest, quam ab ea disciplina cujus cum ad mores emolliendos, tum ad ingenium acuendum tanta est efficacitas, ut ceterarum graviorum, quae vocantur, disciplinarum quasi quaedam metropolis jure habeatur. Adeo, quod Laelium de amicitia affirmantem legistis, quoquo te vertas, praesto est, neque aqua nec igne pluribus locis utimur, in doctrinae quidem studiis, quam veterum scriptorum et priscae elegantiae monumentis. In quibus cognoscendis interpretandisque, me Vobis neque opera, nec consilio, nec studio umquam defuturum polliceor: uberrimumque ex iis fructum capiatis, vel prudentiae ad quaevis vitae munera recte obeunda, vel omnis virtutis, ad bene beateque totum aetatis spatium degendum, cum Vestrum, tum patriae caussa faxit D. O. M.!

IOANNIS

JOANNIS MELCHIORIS KEMPER,

ANTECESSORIS LEIDENSIS,

ORATIO,

DE

AETATIS NOSTRAE FATIS, EXEMPLO GENTIBUS, AC PRAESERTIM BELGIS, NUMQUAM NEGLIGENDO.

Tristi, quo jam toties diem hunc festum praeteriisse vidimus, silentio tandem finem imponi, quantum omnes gaudeant, et frequens haec auditorum corona, et laeti Vestrum omnium vultus, et crebrae per omnem urbem gratulationes testantur. Nec sane, de quo laetemur, parum est. Restitutae patriae indicium est instaurata solemnitas: quam, alieni juris factam, torpescere vitamque vix vitalem trahere vidimus, Academia Leidensis, veluti ex letali somno, resurrexit, et in ipso Academiae natali, quo minus majorum pro patria et libertate virtutem recordemur, jam non praesentis servitutis ignominia prohibemur.

Atque haec, magna licet et gravia, nec sola sunt, nec maxima, quibus laetemur: verum, uti in vita communi morbi saepe labantem valetudinem restituunt, ut in regnis et civitatibus haud raro novas et inauditas antea vires excitari per ipsas calamitates videmus, unde prostratae gentes cum incredibili virtutis ac publicae felicitatis incremento emergant: ita nostra Universitas, non modo ad vitam revocatur, sed novum quem-

dam juventutis florem et vigorem orditur, ut non antiquum festum instaurare, sed primos recentis Academiae natales celebrare videamur.

Neque haec Academiae nostrae praecipua est causa: quidni de universa patria, de magna Europae parte idem affirmemus? Libertatem partim, partim majestatem gentes vindicarunt: excusso intolerabili exterorum jugo, de majorum institutis, non restituendis, verum instaurandis et emendandis adeo cunctae sollicitae sunt, ut ex omnibus his novum ab integro seculorum ordinem naturum esse, facile quivis perspiciat.

In qua laetissima rerum facie, nefas profecto sit, si praeteritorum memoria malorum praesentis cogitatione fortunae deleatur. Nam et eos, qui e summis periculis evaserunt, ista recordatio juvare solet, et in publicis praesertim calamitatibus fructus egregios et uberrimos gignit; siquidem experientia magis et exemplis, quam praeceptis moveri hominum vita solet. Quam ob rem nobis quoque, A. A. memoria repetenda est ejus conditionis, in qua ante hoc biennium versabamur, quo et praesentis felicitatis sensu jucundius afficiamur, et calamitates ipsas cum nobismet ad discendum, tum aliis ad cavendum proponamus.

Etenim, quantumcunque sit, de quo jure laetemur, quod sane maximum est, inchoatum feliciter, non absolutum opus est. Viginti annorum mala per totam Europam biennii spatio reparari non potuerunt: facile redeunt, qui miraculo qnasi inopinato sanati sunt morbi, et quae per multorum annorum seriem radices egerunt opiniones, non simul et penitus evelluntur. Europam vidimus per integram quartam seculi partem turbis intestinis bellisque externis dilaceratam; spontaneos vidimus in libertate vindicanda gentium motus, quales alios nullos recentior historia prodit. Quis prudentia summa opus esse non intelligit, ut tantorum conatuum fructus gentibus conserventur, ut ejusmodi motus in securam et durabilem tranquillitatem desinant?

Quae cum ita sint, A. A. nec a loco, nec a munere meo alienum quis exi-

existimabit, si materiem mihi dicendi ex hac ipsa temporum nostrorum conditione sumam, ac Vobiscum, quantum quidem horae spatium permittet, agam: *de aetatis nostrae calamitatibus, exemplo gentibus, ac praesertim Belgis, numquam negligendo.* Dicenti linguis animisque favere pergite.

Qualem exitum habuerint tempora, quae a praeterito inde nono praecedentis seculi decennio sese non exceperunt, sed urserunt, in animum revocare necesse profecto non est. Patriam nobis dilectissimam exstinctam, cives in longinquis bellis consumtos, libertatem sentiendi dicendique sublatam, urbes ruinis desertarum aedium deformatas, divitias aut turpissimo dispendio exhaustas, aut turpiori etiam perfidia direptas, sermonem patrium oppressum, et quod summum est, morum integritatem peregrinorum contagiosa consuetudine foedatam vidimus. Quae nos afflixerunt mala, totius fere Europae fata fuerunt: ecquis nostrum unus est, qui haec omnia calamitatum nomine appellanda esse dubitet?

Nec tamen illis me propterea annumeretis, A. A. qui praeterita omnia vituperando, praesentia laudando, nomen sibi aut gratiam quaerunt. Eximios fructus inter illas calamitatum spinas maturuisse gratus atque lubens fateor. Odiosa ordinum quorundam in civitate privilegia abolita, normam publicae institutionis emendatam, discrimen inter cives à sacris ductum sublatum, atque plurimas reipublicae gerendae partes melius ordinatas, laeti omnes viderunt, qui humanitatis potius et patriae amore, quam partium studio ducuntur. At haec quamvis magna emolumenta, et sine turbis, quarum testes fuimus, obtineri potuisse arbitror, et ejusmodi certe non sunt, ut eorum causa turbae illae calamitatum nomine notari, aut nationibus ad cavendum proponi non debeant.

Hoc autem ubi verbis explicandum, praeceptaque ex istius aetatis experientia elicienda ac proponenda sunt, initia horum eventuum et causas recolamus oportet; cum profecto vana hic omnis de praeceptis disputa-

tio sit, nisi in hominum potestate esse quodammodo tales eventus constet. De causis igitur calamitatum primo loco videamus.

Calamitatum causas, non auctores me dixisse, probe spero intellexistis, A. A. Communi omnium studio, communibus omnium viribus, quassata diu navis in portum felicius, quam quidem exspectari aut sperari potuerat, perducta est. Concordiam adjuvit Deus O. M.: discordias nos homunciones novas excitabimus? Absit haec a nobis animorum pusillorum superbia, quos monere frustra quotidianus vitae usus videtur, molestius multo ab hominibus triumphos tolerari, quam victorias adversariorum.

At quid de partibus ego et de adversariis, quid de victoribus atque victis Belga loquor? Victoria esse nulla potuit, ubi discordia amplius nulla erat: ubi disruptum nimia forsitan prosperitate vinculum, calamitatibus diu resarcitum, dein sapienti Regis optimi moderatione firmatum, postremum sanguine etiam Principis fortissimi et civium simul pro patria et libertate dimicantium sancitum atque sacratum est. Arcenda est propterea ab hoc Palladis ac Pacis sacrario, non dicam Belgarum, sed istorum perversitas, qui, facta calamitatum nostrarum mentione, et ipsi de pristinis discordiarum vulneribus exulcerandis cogitant, et me cogitasse putant, cui, praeterquam cum patriae oppressoribus, nullae cum quopiam inimicitiae sunt.

Et sane talis mea est, A. A., de calamitatibus Europae novissimis earumque causis sententia, ut earum explicatio nullos offendere praeter illos possit, quibus propter obduratum sceleribus animum injuria fieri nequit.

Nec enim causas nunc intelligo proximas, quae, cum in omnium oculos incurrant, vulgo nomine causarum solent comprehendi, cum revera secundario instrumenti loco censendae sint. Fulminis ictu aedes consumuntur; veram fulminis causam cogitant, qui adversus fulmen aedes mu-

munire conantur: et profecto haud plus sapiunt, qui proximas illas causas, et eventuum, ut ipsi credunt, auctores semper in ore habent, quam si lapidi, ad quem se offendunt, parvuli irascantur.

Haud aliter illi abigendi sunt, qui, cum civitatis fundamenta eversa vidissent, philosophorum quibusdam commentis temere in ipsam vitae actionem et societatem translatis, omni studio, omnibusque conviciis in gravissimam disciplinam et juris naturalis scientiam invehebantur; quasi vero haec aetas philosophiae ortum dedisset, nec ab omni aetate de optima republica apud Graecos Thucydides, Plato, Aristoteles, Polybius, apud Romanos, Cicero, Sallustius, Tacitus, et prudenter, et eleganter disputassent. Habeant isti intempestivam sibi sedulitatem, tenebris delectentur, ne alma luce tenelli oculi offendantur: quorum ratiunculas cum alio loco fregimus, tum exemplum infestissimi tyranni illis objiciendum est, qui, quum ex Academiis Gallicis Juris Naturalis institutionem expelleret, naturae tamen ipsi et rationi silentium imponere non poterat.

Sequitur alia ratio, eaque maxime in vulgus probata, quae causarum omnem vim a singulis hominibus repetens, non nisi de auctoribus his vel illis eventuum sollicita est. In quo genere, perversitatem istorum an stultitiam magis admirer, dubito: invidia profecto et malevolentia, quo graviora mala acciderunt, eo plures nanciscuntur, in quos involare possint.

Vos igitur, nisi Lutherus aut Calvinus exstitissent, ecclesiasticas seculo decimo sexto turbas locum non habituras fuisse credatis? aut, si miraculo aliquo simul omnes in Gallia conjurati ante hos viginti quatuor annos fuissent exstincti, intestinos illos motus oppressos aut impeditos fuisse arbitremini? Mihi quidem non persuaseritis. Occiso Caesare, vindicare Senatus majestatem Romani frustra conabantur, ubi ad unius imperium omnia vel invitos trahebant: et qui in ipsa poenarum fre-

quentia, quibus seculo XV Ecclesiae instaurandae conatus reprimebantur, imminentem tempestatem non deprehendat, nae illi nequicquam hominum consilia, rerumque eventus collustret historia.

Quid igitur nobis hic cum eventuum auctoribus, qui dein et ipsi eventibus cedere debuerunt? De certis definitisque hominibus profecto Fredericus ille Magnus non cogitabat, cum ex Gallia proxime Europae procellas imminere non vanus divinaret. Quid, si hoc ipsum non causis adnumerandum, sed ex iis, veluti effectum, oriri et prodire censendum est, temporibus istis eo ingenio, tantaque audacia homines semper reperiri, qui, quum reliquis duces se praebeant, et a vulgo novarum atque magnarum adeo rerum auctores ferantur, et eo nomine mirifice capiuntur ac delectantur!

Satis, credo, refutavi sedulos illos atque imperitos causarum scrutatores: quid ipse de tanta re sentiam, quaeritis. Ego vero nec unam causam, nec simplicem fuisse arbitror.

Eadem fere ratio est civitatum, quae corporis nostri: nam et, si de morborum causis quaeratur, proclivitates quaedam numerantur, quibus fit, ut facilius in hunc vel illum morbum incidamus, eaeque primae dicuntur causae: tum secundae sunt, extrinsecus ortae, e quibus proxime morbus existit, sed ita, ut, nisi ex utroque causarum genere, corpora fere laborare non soleant: neque secus isti civitatum morbi (quidni enim gentium motus populorumque conversiones eo nomine appellemus) mixtam habeant e multiplicibus causarum generibus originem.

Explodantur igitur, qui, cum aetatis nostrae eventus tractant, omnem disputationem angustis humanae vitae terminis includi ac finiri patiuntur. Continua est non interrupta causarum et effectuum series, et praesentium rerum semina in civili vita eo magis in praeterita aetate quaerenda sunt, quo certius constat, tantos eventus non modo sua natura lentissime maturescere solere, verum et multis non raro impedimentis retardari posse.

Nec

Nec tamen quod de primo hoc genere caussarum dicemus, multum est. Morbi erunt, quoad fragile erit et caducum genus humanum, neque mortalium opus est, quin secum interitus veluti principium afferat. Florentem rempublicam patres viderunt, sed in maximo flore mortiferam pestem gliscere omnes paulo sagaciores intellexerunt: et in ipsa nova hac vita discordiarum nova semina quis non deprehendit, quibus non amor tantum patriae Principisque et moderatio, verum et cum moderatione constantia opponenda est, ut ne novas inde turbas oriri posteri videant?

Admirabilem esse humani ingenii motum, constantemque humanarum opinionum cursum ac progressionem, et rei natura docet, et firmavit omnium temporum usus. At in illis tantum civitatibus rerum quandam esse stabilitatem, in quibus forma ipsa, qua civitates continentur, et leges et instituta, hominum opinionibus conveniunt, eadem nos historia docet. Haec est illa concordia et amicitia, qua respublicas servari praedicabat Pythagoreus ille philosophus: hoc est illud vinculum, quo disrupto nullum non regnum, nullam non civitatem interituram esse affirmamus, nisi prudentia et constantia turbatus rerum ordo restituatur: ut adeo nullum dubium sit, quin, si ad ea attendamus, quae praeterito seculo facta sunt, haec nostra quoque aetas novos eventus paritura sit.

Habetis primam ac praecipuam tantarum rerum causam. Discrepabant atque disjunctae erant a mutatis hominum opinionibus rerum publicarum formae, cui discordiae, ubi vel levissimae externae causae accedebant, facile occultae ubique dissidiorum scintillae, in commune totius Europae incendium, eruperunt.

Extiterunt autem causae secundae non paucae, quae perniciem illam et flammam elicerent et provocarent. Quae in philosophorum scholis antea agitabantur controversiae, in ipsa vita civili excitabantur per Americanorum et Britannorum discordias. Odio magis et invidia, quam ci-

vilis prudentiae praeceptis moti, novas opiniones excipiebant et alebant; qui in Gallia auctoritate valebant, ministri: libertatem praetendebat dominandi libido, donec ipso illo gladio perfida gens percuteretur, quem in aliarum gentium perniciem temere strinxerat.

Nam quae novis opinionibus viam patefacerent iisque animos conciliarent, erant multa. Discordiae erant apud nos intestinae, quae ab ipsis inde reipublicae incunabulis ortae, aliquando sedatae, et sopitae, nec tamen compositae et exstinctae, nunquam non Gallorum calliditate revocatae atque sustentatae fuerant. Aeraria erant apud ipsos Gallos exhausta, et redeuntes ex America milites. Denique serpebant indies ubique de multis institutis civilibus querelae, quas non plebs tantum, verum et optimi praestantissimique viri magna voce approbabant.

Praeterierat interea justum tantis malis medendi tempus. Nam postulantibus jam, non rogantibus morem gerere, periculosum; importuno furori vim opponere anceps jure videbatur: quum semel prudenter cedendi tempus effluxisset, armis controversia dirimenda erat, neque opinionum popularium impetum sustinere poterant militares cohortes.

Hinc omnis publica auctoritas fracta et prostrata; institutis, rerum usu comprobatis, substituta somnia; et inanibus vocibus deceptae gentes; donec tandem nubem se pro Junone amplexas fuisse, pro justo imperio sibi tyrannidem contigisse, sero viderent.

Sed insaniae miseritus Deus O. M. gentium libertatem ex ipsa tyrannide restituit: quique imperandi moderatione totius Europae principatum tenere poterat, is impotenti dominatione omnium animos ac totius Europae arma lacessivit. Quo factum est, ut non illae solum gentes, quarum salutem jam oppresserat, sed et liberae nationes, quarum imperiis et opibus adhuc tantum inhiabat, tanta tamque incredibili virtute diuturnam socordiam excuterent, ut ne cicatrices quidem pristinorum vulnerum, ne scintillae quidem pristinarum discordiarum superessent.

O praeclarum summi Numinis beneficium! O speratam vix amplius felicitatem! Disrupta sunt, quibus tenebamur, vincula: extinctae sunt, quibus vincula illa parata fuerunt, discordiae, et domus tandem una est eorum, qui antea vix eamdem patriam habebant.

Sed non Patriae tantum haec nova facies est. Depositas a gentibus primi nos vidimus invidias, ut commune pro omnium libertate certamen susciperent. Relictam ab omnibus fere principibus primi nos vidimus domesticae vitae tranquillitatem, ut in communi causa communia cum civibus pericula sustinerent: et quae antea in pactionibus sua tantum commoda gentes respiciebant, illae nostra primum aetate communem aliquam humanitatis causam ita agnoverunt, ut quo ardore sibi ampliores fines, aut ampliora jura stipulari antea solebant victores, eodem nunc de abrogando scelestissimo hominum commercio solliciti fuerint.

Verum conservanda sunt prudenter, quae miraculo quodam et supremi Numinis beneficio nobis contigerunt bona: quamvis enim magnarum calamitatum memoria non ultionis causa conservanda est, at praeteriti temporis usum et exemplum ad instantis et futurae aetatis utilitatem et salutem referamus.

Continuam esse, in historia gentium, causarum et effectuum seriem vidimus: eamdem omni humana sapientia et auctoritate majorem esse tandem discamus.

In opinionum ortu et progressu similitudo quaedam est plantarum, quae radices late sub terra extendunt, antequam palam incrementa innotescant. Quae semina sint, ignoramus saepissime, quomodo crescant, latet; qualem vero, ubi maturuerint, vim habeant, omnium temporum historia docuit.

Ferro et flammis furite Nerones et Caracallae, carnificum munus integris legionibus mandate, at ridet inanes furores Christiana religio; nec pueritiae vincula, quae semel abjecit genus humanum, recipit.

Albanis ducibus exsultate, Philippi, rogis atque patibulis totas urbes devastate, latrociniis et incendiis integras regiones evertite; at vero semel sibi assertam libertatem sentiendi mens humana dimittere neque vult amplius, neque potest. Quique umquam similia scelera moliantur, exemplis istis discant, prius coelestium corporum motum nobis periturum esse, quam opinionum incrementa, postquam radices egerunt, opprimi à nobis et vi cohiberi posse.

Extra hominum igitur potestatem sunt, quas primas modo diximus, magnorum eventuum causae. Quae cum ita sint, verecundi omnium rerum, omniumque adeo conversionum in rebus publicis divinam originem suspiciamus: quas si quis quietas semper et placidas fore speraret, nullis nec ingenii nec imperii incrementis agitatas, idem profecto tempestates nullas, aut imbres nullos, insane haud minus quam imprudenter optaret.

Otiosam vero esse propterea de illis causis disputationem ne mihi objiciatis, A. A. Navem in portum salvam deducunt nautae, licet ventos regere, tempestatibus imperare nequeant: morbi vim praecidunt medici, licet aegrotandi et moriendi semina tollere non possint: et, si necessarias rerum vicissitudines, sine quibus vita ipsa plane nulla est, inhibere nequeunt homines, at prospicere possunt, ut ne violento motu evertantur omnia, utque turbis via praecludatur, quarum testes non tantum verum et pars per viginti fere annos fuimus.

Primum hic atque maximi momenti praeceptum quale sit, cuivis in promtu est videre: vim quidem opinionibus opponendam nunquam esse, verumtamen opinionum incrementa nunquam negligenda esse. Temperantur facillime et reguntur, sisti non possunt. Communem auctoritatem opiniones, quibus nulla veri rectique species subest, raro et, nisi vis contumaciam provocaverit, numquam adipiscuntur; ut in extrema omnia tunc demum homines ruant, ubi ne justae quidem querelae audiuntur.

Ce-

Cedere autem temporibus ejusmodi praeceptum est, ut multam habeat cautionem: nam et hic cavendum est, ne quid, nisi opportune, fiat. Primum igitur videant illi, qui civitatibus praesunt, ne imperii auctoritatem et regendi speciem tum amittant, cum istis, quae diximus, cedere decreverint. Maximum est, ut justo tempore cedatur, ut ne sero postulantibus et flagitantibus detur, quod precantibus et verecunde rogantibus negatum erat. Modum illi tenere non solent, qui suis tantum viribus necessario cedi intellexerint: et eorum victoria quanta libidine, quantis sceleribus contaminetur, vel unum optimi in felicissimique Ludovici XVI exemplum, vel una Gallicorum demagogorum impotentia ostendit.

Sed praeterita sunt, quae diximus, tempora: renovata sunt principes inter et populos concordiae vincula. Secundas receperunt partes, qui primas imprudenter occupare conati fuerant. Quas ab impotenti plebis furore leges accipere neque volebant neque debebant principes, eas sibi victores sripserunt ipsi: neque foederi unquam sanctiori gentes accesserunt aut accedere poterunt illo, quod Lutetiae potissimum principes victores pangere voluisse videntur, ut saltem unum aliquid esset, quod horrorem Parisini nominis apud gentes expiaret.

Nec principibus modo civitatum, sed et ipsis gentibus tempora, quae vidimus, et consilia et exitus rerum, cum honestos ad sequendum, tum foedos ad vitandum praebent.

Quae post tantas turbas emendata et quasi igne probata exstiterint, non pauca esse, jam diximus: sed et emendandi studium, cujus gloriola mirifice plerosque homines titillare videtur, haud pauca mala civitatibus attulit. Est enim quaedam morum institutorumque stabilitas, cum ipso societatis statu et tranquillitate insigniter conjuncta; ut vix patria dici possit, ubi instituta nulla patria et avita inveniuntur. Evertunt omnia, qui de omnibus simul emendandis solliciti sunt; nec spera-

tes

tos etiam optima conamina exitus habebunt, nisi et hic ducem sequamur naturam, quam in maximis operibus efficiendis sensim et lento gradu, non inconsiderato impetu, progredi videmus.

Quid igitur? servos nos esse vis, aut torpedine animos nostros opprimendos suades? Imo, ubi illa jura vel humanitatis, vel societatis violantur, quibuscum simul ipsum nobis humanitatis decus aufertur; ubi ea tempora incidunt, quibus nec justae querelae, nec prudenter monita audiuntur, gladio dirimenda lis est.

Sed haec tempora uti raro incidunt, ita nefariam omnem in civitate vim dicere non dubitamus, nisi horrendis, quas vidimus, civilium turbarum calamitatibus digna sit res, de qua agitur. Quo certe loco habenda non esse conamina, mutatâ imperii formâ, societatis conditionem emendandi, luculentum nostrae aetatis praeceptum est.

Meliores sane aliis aliae sunt imperii formae, et prudentius caventur, quae sine damno vindicari nequeunt. At ne nimiam tamen hic legibus vim tribuamus, monet experientia. Quid enim vobis vultis, qui ad scholae et philosophiae nescio cujus praecepta vitam omnem civilem revocatis? Praesenti felicitate non contenti, solliciti estis, quomodo nepotibus etiam et posteris sarta tecta et ab omni vi tuta sint, quae vobis bona contigerunt: ad perfecti cujusdam exempli normam omnia civitatis instituta exigitis, ut, quid emendari queat, enumeretis: hominumque vitia, quae extirpare non potestis, ea legibus innoxia reddere aggredimini.

Magnum est, quod vultis, et egregium, nec profecto is ego sum, qui molimina haec ingenii humani alto supercilio despiciam. Habet illa perfecti imago suavissimam ac divinam quamdam beatioris vitae admonitionem: habet, quo firmetur animus, et extollatur, quo ad quaevis abjecta contemnenda propellatur: et per Deum Immortalem, sincere etiam nunc profiteor, me cum voluptate quadam in illius temporis memoriam redire, quo et me juvenem somnia illa fefellerunt.

At

At quanta in somniando dulcedo, tanta in expergiscendo cum terrore conjuncta tristitia erat. Nomina audiebantur, de quibus somniaverant gentes, omnia; quae nominibus responderent, erant nulla. Ordinum in civitate discrimen sublatum, non ut soli virtuti laudes et honores tribuerentur; sed ut imperandi vices haberent, qui ad honores ante non admittebantur. Comitia erant popularia; sed in iis optimorum civium suffragia nulla, aut vi oppressa. Ad naturae simplicitatem revocata erant instituta multa; sed disruptas domesticas necessitudines, res cum privata tum publica pariter et civitates dolebant. Inanes cessaverant tituli omnes; sed nobilium quorumdam fastum insolentia plebeja et ridicula demagogorum impotentia exceperant. Libertatem Deam resonabant omnia; sed pro levibus vitae civilis oneribus sacrificia exigebat nova Dea, qualia nulla secunda gentium annales memorat. Imperii formas vidimus cunctas, verum pariter Galliam oppresserunt Comitia, Directoria et Consules, donec tandem fatigati ac defessi tyrannidem laeti acciperent, quibus odiosum initio nomen fuisset imperii.

Talia vero, A. A., talia non legimus aut accepimus, verum vidimus atque pertulimus; et non omnes sibi ab ejusmodi tragoediis cavebunt, et non omnes tandem gentes fatebuntur, multo firmius esse libertatis praesidium in libero civitatis ingenio et communi quasi libertatis sensu, quam in legibus et formis imperii?

Errori ob consilii honestatem venia dari semel potuit: verum post ejusmodi experientiam excusationi locus nullus est: et in se exitus quoque recipiant oportet, qui constitutam civitatis formam evertunt; ut ne ab ejusmodi honestis propositis multo graviora, quam a summis sceleribus, civitatibus mala nascantur.

Neque hoc loco pravum usum tantum reprehendi dicatis, auditores juvenes, qui, quo magis magni cujusvis et egregii amore flagratis, eo facilius istius doctrinae illecebris abripi soletis. Vitia universi generis

humani sunt, quae diximus, non singulorum hominum, neque minor eorum error habendus est, qui in civitatibus constituendis ac regendis intelligibilem quamdam imaginem intuentur, quam qui in fluminibus coërcendis ad mathematicas tantum computationes attendant.

Patriam nunc et principes, principes et patriam in ore habent omnes: at redibunt aliquando tempora (et ne cito redeant, Deus O. M. prospiciat!) quibus non temere monuisse me patebit.

Exstincta pestis nondum est, cujus labem nos felicius, quam quidem sperari potuerat, pertulimus: verum ex una domo in aliam transire solent contagiones morborum. Alienis exemplis raro sapiunt homines, qui prudentia sua se praevertere mala posse sibi persuadent, quae aliis contigerunt. Neque hic universarum gentium alia quam singulorum hominum ratio est.

Ad has autem, si quae forte sint, gentes ó utinam, tanquam oraculum, haec mea vox pervenire posset! Experti sumus, quas meditamini, emendationes; audivimus, quos suspicitis, novarum rerum praecones; credidimus peregrinorum, quos nunc vos excipitis, lenociniis; abrepti fuimus nos quoque aliarum gentium, quae occultas forte apud vos etiam simultates alent atque sustinebunt, insidiis; sed diffidite somniis, praeter errorem et lusum nihil habentibus: diffidite praeconibus, qui promissa praestare nequeunt, eoque magis extimescendi sunt, quo majorem patriae amorem praetendant, et quo plura promittant: diffidite inprimis exteris, sive gentibus, sive singulis, qui praedam et lucrum sibi propositum habent: sed diffidite tandem ante omnia vobis ipsi, ne, qui patriam nunc servavit et recuperavit animi fervor, eandem consumat atque evertat.

Habent enim aliquid, A. A. in quo sibi placeant homines, turbae et ejusmodi, qualia vidimus, tempora: agere quam spectare maxima pars hominum mavult, ubi ad agendum et gloriae studium, et officii sensus ad-

adhortatur; temporum fluctui voluntatis constantiâ obicem objicere, jucundum est, et incognitam in communi vita voluptatem habet illa omnium virium contentio, qua ad divinam nos originem quasi propius accedere sentimus.

Verum defervescet ardor, et qui nulla non magna et praeclara nunc ab aliis, a principibus potissimum, exigunt, quoniam ad nulla non parati fuerunt ipsi, eosdem ad angustias vitae quotidianae aut civiles illorum ipsorum necessitudines aut pusilla aliorum plerorumque molimina mox revocabunt; donec sero intelligant, et ab hominibus se exegisse, quae in hac rerum conditione ab iis praestari non possint, et vel se ipsos paulatim et quasi inscios, pro Patriae atque humanitatis causa, suae tantum vel fortunae vel gloriae causam egisse.

Laudabilis sane, et ad magnas res gerendas necessaria est industriae, constantiae, fortitudinis intentio: laudabilius etiam, nec minus necesse, ubi res ex voto cesserint, et ad propositum finem perveneris, cohibere te, nec ultra impetu ferri; ne viribus tandem exhaustis amittantur etiam, quae ex tantis cladibus conservata sunt.

Multa superesse disputatis, nec fortasse immerito, quae melius ordinari debeant! Quasi vero eo perventura sit umquam humana sapientia, ut nil amplius emendandum esse videatur. Post tantam in externa vi debellanda fortitudinem atque constantiam, jure quodam suo postulare gentes dictitatis, ut in patriis quoque institutis ab integro reficiendis opera ponatur! Quasi quidquam, vel ad recens quaesita bona conservanda, vel ad alia comparanda, aptum esset, praeter unam gentium moderationem. Quo loco in primis non dicam culpanda, sed pestis instar fugienda est Gallorum quorundam sophistarum sententia; qui, uti contraria sibi invicem civium atque imperantium commoda dicunt, et perpetuum esse inter utrosque bellum disputare solent, in quo nulla, ne fortuna quidem oblata, occupandi opportunitas negligenda sit, ita ne-

fario consilio ea divellere conantur, quae natura ipsa firmissimo vinculo junxit atque copulavit.

Pestifera, nam saepius dicendum est, vox, cujus auctores societatis nec vim nec virtutem assecuti sunt. Una civibus cum imperantibus patria, una salus, una causa est, illoque benevolentiae atque amoris vinculo restituto, adstricto, vindicato, omnibusque aliis anteposito, quid intrinsecus libertati, quid extrinsecus securitati metuendum sit?

At vero restituerunt illud vinculum tempora, adstrinxerunt calamitates, vindicarunt mutua contentione comparati successus. Reparatae sunt publicae clades; ad domesticas tandem clades reparandas singuli redeamus. Quod et ipsum cum per se magnum tum reip. fructuosum esse, quis tandem negabit? Est mercatura, est ejus robur et praesidium, fides, sunt opificia, sunt aeraria, sunt artes, literae, quae universa nostram industriam, nostram operam et diligentiam requirunt.

In his igitur singuli partes nostras vindicemus, qui jam tuto ad privata negotia redire privati possumus. Omnia turbulentis temporibus loco suo mota et turbata erant; quietis ac sedatis temporibus omnia jam residant, debitumque sibi locum teneant: neque illius, quamvis pervulgati, nos praecepti oblivio capiat, non loco, quem quis teneat, verum modo, quo illius loci officia sustineat, dignitatem ejus censeri.

At quid praeceptis hic opus est, cum exemplum ante oculos, praeceptis omnibus efficacius, habeamus Belgae, cum servatam esse Patriam omnes fateantur, modo suis locis singuli tales sint, qualis suo loco Princeps?

O felicem civitatem, ubi ad officia sua discenda praeter Principis exemplum nihil indigent cives! O felicem ter quaterque Patriam, ubi talem Principem palam laudare ipsa, quae verecunda semper est, amoris sinceritas vetat!

Ab-

Absolvi, Auditores, quae mihi dicenda proposueram; praecipua. Quod superest, muneris officio dandum esse, monet me temporis angustia.

Nec tamen ea nunc diu nos morabitur officii necessitas. Tres tantum elapsi sunt menses, ex quo ad novam vitam revocata est Academia. Quae autem ab occupato inde Hollandiae regno, et exstincta pristina Academia Leidensi, usque ad illud tempus tristia nobis et laeta acciderunt, cum sibi recensenda sumserit PALMIUS noster, Academiae Actuarius, qui quantum in illis calamitatibus ad sustinendos corroborandosque animos nostros tum exemplo suo tum exhortationibus contulit, nunquam grati obliviscentur Belgae: lubens sane tempora ista penitus silentio praeteriissem, nisi in ipsa hac auditorum frequenti corona animum eo revocasset absentia virorum, quorum desiderio eo magis nunc afficimur, quo laetiori animo ipsi quoque restitutam hanc patriam solemnitatem vidissent.

Ereptum enim tunc mortalitatis fato Theologiae studio BOERSIUM, Medicinae SANDIFORTIUM, Historiae vero studio REGENBOGIUM dolemus; ac profecto jure dolemus, siquidem in primo sincerum religionis amorem, et liberalem in ea vindicanda constantiam, in altero amplam doctrinam, literatamque in omni medicina eruditionem, in REGENBOGIO vero indefessam assiduitatem et cum omnibus historiae limpidissimis fontibus familiaritatem recordemur.

At haec ipsa recordatio, quae, cum ante novam Academiae ordinationem clades illae acciderunt, pietatis magis quam necessitatis est, animos erigat, ut, quam illi strenue vindicarunt Academiae gloriam, etiam nos sustineamus; cogitantes quantum in ipsa hac nova institutione sit, quod vim addat illis, quae in oratione diximus. (*).

Emendatam Academicae institutionis normam voluerunt per viginti annos omnes. Quod per turbas omni illo tempore absolvi non potuit, ab-

solvit intra biennium prudens atque moderata Regis constantia. Quam liberalem, ut ajunt, legem extorquere anteriores conatus non potuerunt, eam liberalissimam sponte Rex constituit.

Quod ab imperante fieri potuit, ut temporum conditioni responderet institutio, factum est; nova supellectili Academico addita sunt multa, et quae aderant, aucta sunt vel augebuntur proxime. Quod superest nobis demandatum videmus, professoribus et studiosis, qui profecto, quanta sint, quae ex tali publicae institutionis emendatione nobis nata sunt officia, nunquam obliviscemur, verum, ut ne frustra nobis illa contigisse dicatur, laeto et alacri animo omnes annitemur.

Sed nequaquam bona haec et laeta efficient, ut fatorum, quae proxima Academiam afflixerunt, nos oblivio capiat.

Communis fuit omnium laetitia, cum et FREDERICUM GUILIELMUM BOERSIUM, virum honoratissimum, inter Academiae Curatores ad moderamen rerum Academicarum vocaverat Regis sapientia; optimi enim viri subtile in judicando ingenium, elegantem et in omni vita, tam publica quam privata, fructuosam doctrinam, ardentemque erga bonas literas, et Leidensem Academiam, amorem cognoscebant omnes. Communem nunc omnium dolorem testantur, qui nunc tristes in locum optimi viri morte vacuum conversi sunt oculi; nec profecto magis aliquis BOERSII desiderio affectum se in hac ipsa solemnitate sentire potest, quam quidem me nunc affligi sentio, qui et amicitia, et laboris in adumbranda nova hac Academiarum institutione societate, cum BOERSIO junctus, quantum Academia perdiderit, magis etiam quam caeteri, et facilius aestimare possum.

Verum salva est, quam in oculis et deliciis BOERSIUS habuit, Academia. Salva erit, et in dies magis etiam magisque post novam institutionem splendore crescet, quamdiu vos eodem, quo nunc flagratis, ardore, et Patriae et Academiae honorem sustinere pergatis, juvenes optimi,

Lei-

Leidensis Academiae alumni. Per biennium, quo Rectoris munus gessi, vos inprimis effecistis, ut ne unquam me, quamvis variis occupationibus distractum, muneris difficultates terrerent. Amicitia amicitiae respondistis, justas adeo indignationes mediis in turbis mei causa suppressistis, et post ipsam studiorum intermissionem, ad quam Patria volentes ac lubentes evocavit, ita ex bello ad Pacis studia rediistis, ut absentia ipsa literas vobis cariores exstitisse, omnibus demonstraveritis. Tenete igitur, quam sequimini, viam. Quem Rectori amorem ostendistis, eum vos praeceptori quoque semper conservaturos esse, meus erga vos animus certus testis est.

(*) Vir Clarissimus, CAROLUS BOERS, natus in pago Voerschoten d. 6. Junii 1746, obiit d. 20 Maji 1814. Ex Ecclesia Harlemensi vocatus Theologiae Professor, d. 21 Junii 1779 hanc provinciam auspicatus est oratione, quae typis expressa est, *De difficultatibus, quae disciplinae Theologicae professionem premunt, et de potissimis, quae illarum mitigationi inserviant, levamentis.* Mox accessit munus Praefecti Collegio Theologico. Altera Oratio *De Religione, praeclaro sanitatis praesidio*, qua a. 1784 Academiae Rectoris munere se abdicavit, non prodiit. A. 1768 Trajecti ad Rhenum Theologiae Doctor creatus est, edita et publice defensa Dissertatione inaugurali, exhibente *Specimen observationum ad nuperam N. T. Versionem Brittanicam, conscriptam ab E. Harwood* Postea edidit quoque orationes nonnullas sacras, Belgico sermone; nec non *Handboek voor Jonge Predikanten*, a. 1807.

Vir Clarissimus EDUARDUS SANDIFORT, Dordraco-Batavus, natus d. 14 Novembris 1742, obiit 12 Februarii 1814.

Medicinae Doctor renuntiatus est in Academia Lugduno-Batava d. 19 Decembris 1763.

Ana-

Anatomes et Chirurgiae Professoris Extraordinarii munus suscepit d. 22 Maji 1771 Oratione *De Optimo Anatomico*, quam Orationem non edidit; dein Professor Ordinarius constitutus, Orationem habuit d. 25 Maji 1772, *De circumspecto cadaverum examine.* Professor Medicinae dictus est d. 12 Junii 1778. Munere Rectoris a. 1782. perfunctus, dixit, *De Officio Medici perquam difficili, a multis pessime neglecto:* quam Orationem edidit à. 1785. Altera vice a. 1802, Rectoris munere functus, Orationem habuit *De* BERNARDO SIEGFRIED ALBINO, *Anatomicorum, quotquot elapso floruerunt seculo, facile Principe, Physiologorum vero sui temporis summo*, quae in lucem non prodiit.

Reliqua Viri Clarissimi scripta sunt:

Dissertatio, inauguralis, *De Pelvi, ejusque in partu dilatatione*, Lugd. Bat. 1763. in 4to.

Observatio *De Foetu monstroso, cujus viscera abdominalia omnia una cum corde extra corpus propendebant* (in Actis Helveticis vol. 7. p. 86.)

Observatio *De Puero Monstroso* (in Novis Actis Phys. Med. Acad. Nat. cur. Tom. 4 p. 150).

Descriptio morbi contagiosi, qui in Belgio A. 1769. *inter boves Saeviit*, (in Suenska Vetensk. Acad Handlingar Anni 1769. s. 325.).

Observationes *De usu ligni Quassiae in Arthritide* (ibidem Ann. 1770. s. 168.).

Verhandeling *Over eene Slagaderbreuk in de groote Slagader*, 's Gravenhage 1765. in 8vo, met platen.

(Haec observatio in latinum Sermonem conversa etiam reperitur in Novis Actis Phys. Med. Acad. Nat. cur. Tom. 4. p. 40.).

Natuur- en Geneeskundige Bibliotheek, 's Gravenhage 1765—1775. XI Deelen in 8vo.

Thesaurus Dissertationum, Programmatum aliorumque Opusculorum. Lugd. Bat. 1768—1778. 3 vol. in 4to. cum fig.

Observationes Anatomico Pathologicae. Lugd. Bat. 1777—1781. 4 vol. in 4to. cum fig.

De-

Descriptio musculorum hominis, Lugd. Bat. 1781. in 4to.
Tabulae Intestini Duodeni, Lugd. Bat. 1781. in 4to.
Icones herniae inguinalis congenitae, Lugd. Bat. 1781. in 4to.
Exercitationes Academicae, Lugd. Bat. 1783—1785. in 4to, cum fig.
Anatome infantis Cerebro destituti, Lugd. Bat. 1784. in 4to, cum fig.
Descriptio Ossium hominis, Lugd. Bat. 1785. in 4to.
Museum Anatomicum Academiae Lugduno-Batavae, Lugd. Bat. 1793. 2 vol. in fol. cum fig.

Scripta aliorum, quorum editiones curavit:

A. Vesalii *Tabulae Ossium*, Lugd. Bat. 1791. in fol.
Caldanii *Institutiones Physiologicae et Pathologicae*, Lugd. Bat. 1784. 2 vol. in 8vo.
G. Azzoguidi *Observationes ad Uteri constructionem pertinentes.*
J. B. Palettae *Nova Gubernaculi testis Hunteriani et tunicae vaginalis descriptio; ut et Observationes de claudicatione congenita.*
J. Brugnoni *Dissertatio de testium in foetu positu; de eorum in Scrotum descensu: de tunicarum, quibus hi continentur numero et origine.*
Tres has Dissertationes edidit sub titulo *Opusculorum Anatomicorum*, Lugd. Bat. 1788. in 8vo.

Ex aliis linguis in Belgicam transtulit:

Th. Dimsdale, *Over de Inenting der Kinderpokjes*, 's Gravenhage 1768. in 8vo, uit het Engelsch.
O. Acrell, *Heelkundige Waarnemingen*, 's Gravenhage 1771. in 8vo, uit het Zweedsch.
N. Rosen van Rosenstein, *over de Ziekten der Kinderen*, uit het Zweedsch vertaald, en met aanmerkingen vermeerderd. 's Gravenhage, eerste druk, 1768. Ibidem tweede druk, 1779. 2 deelen, in 8vo.
Inleiding tot de genezing der inwendige Ziekten, door het Opperste Collegie der Geneeskunde te Berlijn, Leyden 1788. in 8vo, uit het Hoogduitsch.

Adscriptus fuit Socius sequentium Academiarum ac Societatum:

Academiae Caesareae Leopoldinae Carolinae Naturae Curiosorum, a. 1766.
Instituti Regii Historici Goettingensis, a. 1767.
Societatis Latinae Jenensis, (quae Athenis propter Salam est) a. 1767.
Societatis Physico-Mathematico-Anatomico-Botanico-Medico-Helveticae, a 1768.
Academiae Regiae Scientiarum Sueciae, a. 1768.
Societatis Lausiacae (die Physikalisch Oekonomischen Bienen Gesellschafft in Ober Lausitz) a. 1769.
Societatis Medicae Edinburgenae, a. 1769.
Societatis Zeelandicae (Zeeuwsch Genootschap te Vlissingen) a. 1769.
Societatis Batavae Roterodamensis (Bataafsch Genootschap der Proefondervindelijke Wijsbegeerte te Rotterdam) a. 1771.
Societatis Harlemensis (Hollandsche Maatschappij der Wetenschappen te Haarlem) a. 1771.
Societatis Amstelodamensis ad Agriculturam pertinentis (Maatschappij tot bevordering van den Landbouw te Amsterdam) a. 1776.
Societatis Regiae Chirurgicae (l'Acad. Royale de Chirurgie) a. 1781.
Societatis Haganae (Natuur- en Geneeskundige Correspondentie-Societeit te 's Gravenhage) a. 1783.
Societatis Regiae Scientiarum Upsaliensis a. 1784.
Societatis Medicae Londinensis, a. 1784.
Societatis Regiae ad Medicinam Spectantis (la Societé Royale de Médecine) a. 1786.
Societatis Amstelodamensis ad Chirurgiam spectantis (Genootschap ter bevordering der Heelkunde te Amsterdam) a. 1790.
Societatis Trajectinae (Provintiaal Utrechtsch Genootschap van Konsten en Wetenschappen) a. 1790.
Societatis Jenensis Mineralogicae, (Jenaische Mineralogische Societeit) a. 1798.
Societatis Medicae Parisiensis (la Societé de Médecine de Paris) a. 1807.
Societatis Physico-Medicae Erlangensis, a. 1809.

Vir Clarissimus JOANNES HENRICUS REGENBOGEN, natus Schuttorpae in Comitatu Benthemensi, d. 9 Decembris a. 1769, obiit d 22 Februarii 1814. Inde ab a. 1812 in hac Academia Professor Historiarum; antea Franequerae Historiae Ecclesiasticae et Exegeseos Biblicae, ubi hoc munus suscepit d. 3 Junii 1799, habita oratione: *De extremis, in quae interpretes Sacri Codicis passim prolapsi sunt, sedulo cavendis.* Deinde Theologiae Professio accessit. D. 1 Junii 1804 magistratu Academico abiit, Oratione *De Theologo perfecto.* Utraque lucem vidit. Item edita sunt haec ejus scripta:

Betoog, dat er eigenlijk genoemde regtstreeksche Voorspellingen van den Messias in de Schriften des O. T. gevonden worden, door het Haagsche Genootschap tot verdediging van den Christelijken Godsdienst met den Gouden Eereprijs bekroond, 1797.

Abraham, als een Vader des Huisgezins ter navolging voorgesteld, door hetzelfde Genootschap met een Zilveren Eereprijs bekroond, 1798.

Verhandeling, ten betooge, dat er omtrent het wezenlijke der voornaamste waarheden van het Christendom geene verandering behoort te komen, met den Gouden Eereprijs van hetzelfde Genootschap bekroond, 1801.

Over de overeenstemming van de Leer der Apostelen met die van hunnen Meester, in de Werken van het Haagsche Genootschap van het zelfde jaar.

Verdediging van den Christelijken Godsdienst tegen deszelfs hedendaagsche Bestrijders, 2 voll. Amstelodami 1802.

Commentatio de fructibus Belli Sacri, Amstelodami 1809.

Christelijke Godgeleerdheid, naar de behoeften van onzen tijd, Workumi 1811.

Diversa Opuscula, in *Verstrooide Gedachten over verschillende Onderwerpen*, Franequerae 1802 et seqq.

Nagelatene Leerredenen, Dordr. 1815.

Nonnulla insuper non addito nomine.





